



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 2. Quantitas Hispaniae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

## CAPVT PRIMVM.

*De Hispania recentiori in genere.*§. 1. *Nomen Hispaniæ.*

**L**ICET Hispania varios subinde sit experta dominos, & Barbarorum prædæ patuerit sæpius, eorum tamen non accepit nomen, vt Anglia, & Francia, nisi fortè in quibusdam partibus vt *Andaluzia*, & *Catalania*, vt mox dicetur.

§. 2. *Quantitas Hispaniæ.*

LONGITVDO eius maxima desumitur à Pro. *Sanctæ Crucis* ad Prom. *Finis terra*, quæ distantia ad Sphæram reuocata, dat vndecim gradus maioris circuli, ac proinde 660. M. passuum.

*Latitudo*, consideratur à *Freto Gaditano* ad Prom. *Ortegal*, ad totos octo gradus porrecta, qui reddunt 540. M. P.

*Circuitus* paulò maior definitur à Mariana lib. 1. Nam à *Crucis* Prom. ad primas *Freti fauces* numerat 1080. M. Paf. Hinc ad caput *Finis Terra* 904. M. P. Inde ad fines Francicos 535. M. P. Nunc verò nauatæ à Pro. *S. Crucis*, ad Pro. *Martini* 270. M. P. Hinc ad Prom. *Gates* 240. M. P. Exinde ad exteriores fauces 210 M. P. qui numeri simul ducti reddunt 720. M. P. A *faucibus* autem ad Pro. *S. Vincentij* 160. M. P. Hinc ad Pro. *Sintra* 120. M. P. Inde ad Pro. *Finis Terra* 400. M. P. Summa huius lateris 680. M. P. Denique hinc ad *Fontarabiam* 390. M. P.

§. 3. *Qualitas Hispaniæ.*

QVIBVSDAM in locis mirè fertilis, quibusdam sterilis supra modum; ita se hîc prodigam, aut nouercam natura præbet. Fert fructus admodum suaues vt pote magis excoctos: atque ita quandiu suppetit Hispanis frumentum natium, nostrum fastidiunt, panisque hîc quàm apud nos saporis exquisitoris. Vina Hispanica per totam Europam, imò orbem distrahuntur. Minio iam diues vt olim, item auro, & argento, cuius metallicæ 500. numerantur,

M m iij